



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno 313. Usque Ad Annum 361

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1758

VD18 90117778

§. 20. Liberius Mediolani coram Imperatore.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66022](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66022)

Sæculum IV. fidiæ ascetis etiam ponebantur; por-
 tus, omnesque urbis aditus custodieban-
 tur, ne quis Catholicus intrare, & Libe-
 rio colloqui posset. Tunc urbem Ro-
 mam propria experientia docuit, quod
 aliis referentibus non credidisset, quan-
 tam calamitatem hæretici in alias Ec-
 clesias inveherent. Tandem Liberius
 mediæ noctis silentio ab armatis ex ur-
 be raptus est, non sine maximo rapientium
 periculo, ne a populo, qui unice
 Pastorem suum diligebat, deprehende-
 rentur.

Amm. lib. XV. c. 7.

§. XX.

Liberius Mediolani coram Imperatore.

Theod. II. c. 15. 16.

Liberius Mediolanum adductus in Con-
 spectum Imperatoris sistitur, vel pe-
 tius in ejus Consistorio interrogatur;
 ita ille Senatus vocabatur, in quo de
 maximi momenti rebus consultabatur,
 atque acta a peritis in notas redigeban-
 tur, hinc pii Christiani occasionem na-
 cti sunt, hoc ita notatum colloquium
 posteris asservandi, ut tali exemplo Chri-
 stianorum zelus excitaretur. Impera-
 tor Constantius, inquit: *quia Christo-
 nus es, & nostræ urbis Episcopus, con-
 sum nobis est, te ad nos vocare, ut te
 hortaremur maledictam insaniam ponere,
 & impii Athanasii communioni renun-
 tiare; a toto terrarum orbe damnatus*

Sæculum IV.
A. C. 355.

Et Concilii judicio ab Ecclesiæ Commu-
 nione exclusus est. Episcopus Liberius
 respondit: Domine! Judicia Ecclesiæ
 fundamento Sanctæ Justitiæ inniti de-
 bent, quamobrem, si tuæ pietati ita pla-
 ceat, tribunal erigi jubeas, Et si Atha-
 nasius damnatione dignus est, sententia
 in eum juxta Canones Ecclesiæ pronun-
 tietur, nam hominem, a nobis non ju-
 dicatum, damnare non possumus. Im-
 perator: impietatem ejus universus or-
 bis damnavit, nunc justæ sententiæ exe-
 cutioni moras injicere cupit pro more
 suo. Liberius: omnes, qui subscripse-
 runt, quæ facta fuissent, oculis suis non
 viderant, sed vel laudis cupiditate, vel
 infamiæ metu, quam minabaris, age-
 bant. Imperator: quid mihi de laude,
 de timore, de infamia obgannis? Libe-
 rius: omnes illi, qui Athanasium nec ju-
 dicatum, nec visum condemnarunt, ve-
 ritatem, Et Gloriam Dei tuo favori
 postposuere; absit hoc malum a bonis
 Christianis! Imperator dixit: tamen is
 ipse præsens in Concilio Tyriensi judica-
 tus est, Et in Concilio ab omnibus Mun-
 di Episcopis condemnatus. Forte Im-
 perator hic loquitur de Concilio Me-
 diolanensi, in quo revera Episcopo-
 rum numerus fuit maximus. Liberius
 respondit: nunquam, ipso præsentem, sen-
 tentia lata est, Et qui eum damnavit,

Qq 2 id

Sæculum IV. *id est Tyri, inique damnarunt, & post
A. C. 355. ejus discessum.*

Eusebius Evnuchus inquit: *Omnes
Athanasium fidei Catholicæ hostem ag-
verunt in Concilio Nicæno. Eusebius
iste, cujus tunc tanta erat auctoritas,
haud dubie cubiculariorum Præfectus
fuerit, & quia erat Arianus, fidem Ca-
tholicam appellabat illam hæresin, quam
S. Athanasius semper oppugnaverat. Li-
berius, ad Evnuchum respicere non di-
gnatus, Imperatori respondebat: Nos
plures quam quinque sunt, qui Athana-
sium judicarunt, illi nempe, qui in Ma-
reotidem ad inquirenda facta ejus missi
sunt; ex his quinque duo, Theognis, &
Theodorus mortui sunt, alii tres sunt
superstites, nempe Maris, Valens, & Ur-
facius; Concilium Sardicense sententiam
damnationis in hos Delegatos promulga-
vit, & hi ipsi Delegati libellos suppli-
ces Concilio tradiderunt, veniam humil-
lime precantes propter inquisitiones quas
in Mareotide contra Athanasium absen-
tem calumniose obivissent; hos libellos
retractationis manibus nostris tenemus.
Liberius hic loquitur de retractatione
Urfacii, & Valentis in Concilio Romano
post Concilium Sardicense, & in hunc
modum profequitur: Jam edic quibus-
cum nos æquitas communicare jubeat, an
cum illis, qui, postquam Athanasium con-
demna-*

Liberius
Papa coram
Imperatore.

v. Vales. in
Theodor.

demnarunt, pœnitentes facti veniam ro-
garunt, an cum illis, qui modo hos ipsos
supplices condemnarunt?

Sæculum IV.
A. C. 355.

Episcopus Epictetes inquit: Domine!
non amore fidei, aut judiciorum Eccle-
siasticorum Liberius tanta linguæ intem-
perantia tibi loquitur, sed ut Romæ a-
pud Senatum jactare se possit, tibi, quæ-
cumque voluerit, in faciem exprobrasse.
Constantius ad Liberium: Quantum te
ipsum facis in mundo, ut immani su-
perbia solus cum impio socio totius univer-
si pacem turbare audeas? Liberius: Etsi
solus essem, non ideo fidei causa cade-
ret; olim non plures tribus viris manda-
to Regis resistebant. Hic de tribus pue-
ris, Danielis sociis, loquitur, quod bene
capiens Euvuchus Eusebius ait: Nempe
Imperator noster tibi alter Nabuchodono-
sor est! Liberius: Non est; sed æque in-
justa, ac ille quondam a suis, vos a nobis
petitis, dum vultis, ut virum injudica-
tum damnemus. Ego quoque peto, ut
omnium primo exhibeatur charta omnium
Episcoporum Nominibus signata, qua fi-
des Nicæna confirmetur; deinde omnes
fratres nostri ab exilio revocentur, suis
Cathedris restituantur, & postquam il-
los, qui modo Ecclesias turbant, fidem
Apostolicam recipere exploratum fuerit,
tunc omnes Alexandria, ubi accusatus,
accusatores, iique omnes, quorum inter-

Q 9 3 est,

Sæculum IV. *est, præsentés sunt, congregentur, ut,*
 A. C. 355. *cunctis examinatis, iudicium ferre pos-*
simus.

Epictetes ait: *Vecturæ publicæ tot itinerantibus Episcopis non sufficient.* Liberius, *Ecclesia, inquit: vecturis publicis non indiget; particulares autem Ecclesiæ necessaria ad transvebendum Episcopum suum usque ad mare suggerent.* Imperator: *Quæ semel iudicata sunt, irritari non debent, plurimorum Episcoporum iudicium valeat! solus es, quem impij hujus amicum te dicere non pudet.* Liberius: *Domine! inauditum nobis erat hætenus, absentem reum a iudice suo impium dici, id enim magis privato ejus inimico convenit.* Imperator: *Cunctos offendit iste, me vero omnium maxime! Fratris primogeniti mei interitus non exsatiavit crudelem animum, nunquam cessavit Constantem jelicis memoriæ impellere, ut me oderit, maximo forte meo damno, nisi ejus, & fratris mei molitionibus mansuetudinem, & patientiam objecissem. Nihil ita exitium a me factum existimavero, ne quidem devictum Magnentium, aut Silvanum, quam si sceleratissimum hominem ab Ecclesiæ Regimine deturbavero.* Silvanus, de quo hic sermo, Dux belli erat ex natione Francorum, inter Romanos educatus, & multo tempore in mili-

Amm.
Marc.
L. XV.
c. 5.

tia fidem præstiterat; tandem calumniis, Sæculum IV.
 quibus apud Constantium fama ejus im- A.C. 355.
 petebatur, in desperationem actus, cum Silvanus
 seditionem movisset, Coloniae occisus Anti-Imper.
 est; postquam Imperatoris Nomen non Pagi 353.
 pluribus viginti octo diebus gessisset. Id n. 4.
 eodem anno 355. contigit.

Liberius ad Imperatorem: *Domine!*
si de inimicis tuis vindicare te animus
est, noli ad hoc opus Episcoporum ope-
ra uti, nam manus Clericorum ad re-
conciliationem, & sanctificationem de-
stinatae sunt. Quæso te! ut Episcopos
domum mittas, & si in confessione fi-
dei Nicænæ uniti fuerint, tunc conve-
niant, & universi orbis paci consulant;
boc vero absit! ut ad innocentem oppri-
endum conjurasse videantur. Impera-
tor: Unum est, quod te volo; remit-
tam te Romam, si communionem alia-
rum Ecclesiarum amplexus fueris; cede
pacis amori, subscribe, & Romam re-
vertere! Liberius: Fratribus meis Ro-
mæ ultimum vale dixi, quid enim mihi
prodesset Romæ esse, si salvis Ecclesiæ le-
gibus esse non possum? Imperator: Tres
tibi dies sunt, quibus deliberare liceat,
an velis subscribere, & Romam redire,
nisi feceris, locum exilii tibi elige! Li-
berius: Nec tribus diebus, nec tribus
mensibus mens mea mutari potest; ibo
autem quocunque me miseris!

Q9 4 §. XXI.